

promissi latum per arbitros, licet à Papa in forma communi confirmatum, non tenet.

8. *Venerabilis*.—In confirmatione ex certa scientia dictio *sicut* ponitur causative: nec nocet, si verbum confirmationis præcedit tenorem confirmati.

9. *Sua*.—Collatio Ecclesiæ alteri facta per Legatum, et à Papa confirmata jus diocæsani non lædit.

8 Honor. III. Hugoni I. Regi Cypri. Hen I. Filio. etc. 9 Idem Univers. Ab. et Prælat. Conven. et Cleric. Constant. et Calced Diæc.

## ELENCHUS I

Decretalium expresse vel tacite correctarum a posterioribus Decretalibus, partim abrogatione, partim derogatione, partim moderatione; servato ordine titularum ac capitulorum in unoquoque libro.

### LIBER PRIMUS.

#### TIT. III.—DE RESCRIPTIS.

1. Decretali Alex. III. relatæ in cap. *Ex parte* 2. præcipientis falsificantem litteras apostolicas à solo Papa esse iudicandum, et ideo ad eum ab Ordinariis esse mittendum vinctum, tacitè derogatum est ab Innoc. III. statuente cap. *Ad falsariorum* 7. de crim. fals., puniendum esse à suo Ordinario, dummodo non sit ab hoc carceratus de mandato Papæ: Vide Fagn. in cit. c. 7. n. 65.

2. Decretalis Innocent. III. relatæ in cap. *Nonnulli* 28. decernentis, ne per litteras apostolicas, quibus causæ iudicandæ committuntur, quisquam trahatur ultra duas dietas extrâ suam diocæsimum, nisi vel constet has litteras de partium consensu fuisse impetratas, vel huic Decretali expresse in iisdem litteris fuisse derogatum, restricta est à Bonifac. VIII. cap. *Statutum* 11. §§. *Cum vero*, et *Cum autem*, et cap. *Hac constitutione* 15. §. *Conservatores* de Offic. et Potest. Jud. deleg. in 6. statuente, ne committantur ultra unam dietam à finibus diocæsii computandam, et à finibus diocæsii rei, si sit diversæ diocæsii ab illa actoris.—Pro dieta intellige non legalem, id est, continentem viginti miliaria, sed vulgarem secundum consuetudinem regionis. Fagnan. in cit. cap. *Nonnulli* n. 6.

#### TIT. IV.—DE ELECTIONE.

3. Decretali Alex. III. relatæ in cap. *Cum in cunctis* 7. decernentis:—1.º §. *Inferiora*, ne ulli conferatur Ecclesia parochialis, nisi 25 annuum attigerit, prohibendo tantum, non irritando collationem:—2.º ut si absque legitimo impedimento, elapso anno post illius possessionem non fuerit ordinatus sacerdos, prius monendus sit, quatenus infra annum ordinetur; et si post monitionem fuerit contumax, privandus sit per sententiam, expresse derogatum est à Greg. X. cap. *Licet canon* 14. hoc eod. tit. in 6. irritante huiusmodi collationem, et declarante: sic provisum non monendum, sed esse ipso jure privatum.

4. Decretalis ejusdem relatæ in cap. *Nosti* 9. simpliciter prohibentis Electionem administrationem ante confirmationem, ampliata est à Greg. X. ut n. seq.



5. Decretalis Innoc. III. relata in cap. *Qualiter* 17. statuentis, Electum se immiscentem in administrationem praelaturæ ante confirmationem esse privandum per sententiam jure sibi ex electione quæsito, tacite ampliata est à Greg. X. cap. *Avaritiæ* 5. hoc eod. tit. in 6. declarante, esse ipso jure privatum, sive administret per se, sive per alium.

## IN SEXTO.

6. Decretali Greg. X. relata in cap. *Licet canon* 14. statuentis, ut assumpti ad Ecclesiam, parochialem infra annum ad Sacerdotium promoveantur, et per se resideant sub pœna, si infra id tempus non promoti fuerint, privationis ipso facto parochiæ absque ulla monitione, tacite derogatum est à Bonifac. VIII. cap. *Cum ex eo* 34. hoc eod. tit., tribuente Episcopis aliisque superioribus facultatem dispensandi cum iisdem, ne usque ad septennium litterarum studio insistentes promoveri teneantur ad sacerdotium, promoveri tamen debent intra annum ad subdiaconatum, sub eadem pœna à Gregorio statuta: sicuti etiam eandem pœnam incurrunnt, si elapso septennio ad Diaconatum et Presbyteratum se non fecerint promoveri. Verum post Concil. Trident. Episcopi hac facultate uti nequeunt ex decretis Congreg. Conc. à me relatis in Addition. lib. III. tit. IV. post num. 21.

Eidem Decretali statuenti promotum ad Ecclesiam parochialem ea ipso jure privatum esse, nulla etiam præmissa monitione, nisi infra annum se fecerit ad sacerdotium promoveri, expressè addita est exceptio ab eodem Bonif. cap. *Statutum* 22. hoc eod. tit. quoad parochum Ecclesiæ collegiatæ, declarante hujusmodi pœnam ad hunc non extendi, sed privandum esse per sententiam, juxta cit. cap. *Cum in cunctis* 7. §. *Inferiora*.

7. Decretalis Bonif. VIII. relata in cap. *Si Religiosus* 27. statuentis superiorem posse concedere suo Religioso licentiam consentiendi electioni de se factæ ad praelaturam extra proprium monasterium, abrogata est à Clem. V. decernente cap. *Cum rationi* 1. hoc eod. tit. in Clementin., hanc electionem nullius esse firmitatis, ut n. seq.

8. Decretali ejusdem Bonif. relata in cap. *Nullus* 28. statuentis posse Religiosum professum eligi in superiorem alterius Ordinis, derogatum est ab eodem Clem. V. ut supra.

## TIT. XI.—DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

9. Decretali Alex. III. relata in cap. *Ex tempore* 4. permittentis Clerico post pœnitentiam ministrare in Ordine suscepto, et ad superiorem promoveri posse, non obstante quocumque delicto occulto, quod si aliàs esset publicum, ad alios Ordines promoveri nequiret, et degradationem mereretur, tacite derogatum est, seu potius declarata à Greg. IX. cap. *Quæsitum* 17. hoc eod. tit., excipiente occultum crimen homicidii, ob quod et à susceptis et à suscipiendis prohibetur. Vide Elencho II. n. 23.

10. Decretali Urbani III. relata in cap. *Cum quidam* 8. statuentis ordinatum extra tempora à jure statuta tamdiu suspensum esse, donec à Sede Apostol. dispensationem obtineat, derogatum est à Greg. IX. cap. *Consultationi* 16. hoc eod. tit., declarante, dispensari posse ab Episcopo,

pœnitentia peracta ut in susceptis ministret. Et quamvis ex constit. Pii II. *Cum ex sacrorum*, hæc suspensio sit latæ sententiæ, non tamen est reservata, et afficit solum promotos extra tempora ad sacros Ordines; non obstante constit. Sixti V. *Sanctum* contra Clericos malè promotos, qua Papæ reservabatur, cum abrogata fuerit à Clem. VIII. constit. *Romanum decet*. et redacta ad terminos juris communis, et cit. constitut. Pii II.

## TIT. XIV.—DE ÆTATE, ET QUAL. PRÆFICIEND.

11. Decretali Alex. III. relata in cap. *Præterea* 5. decernentis obtineri non posse beneficium curatum absque dispensatione, nisi ab eo qui sit subdiaconus, et intra breve tempus ordinari possit sacerdos, an derogatum sit à Bonif. VIII. cap. *Si pro Clericis* 8. tit. de Præb. in 6., clarè statuentem non oportere promotum esse ad Ordines sacros, seu sufficere in tali esse ætate, ut proximè statutis à jure temporibus promoveri queat, Gloss. in cit. cap. *Si pro Clericis* 8. verbo *Promovere* movet dubitationem; sed Fagnan. in cit. cap. *Præterea* n. 5. et seq. tenet, ex decreto Cong. Conc. à Clem. VIII. approbato in praxi conferri posse parochialem etiam Clericis primæ tonsuræ, dummodò intra annum ad sacros Ordines promoveantur.

## TIT. XXIX.—DE OFFIC. JUDIC. DELEGAT.

12. Decretalis Lucii III. relata in cap. *Relatum* 19. statuentis jurisdictionem delegatam perpetuari litis contestatione juxta Panormit. Decium, Felinum, et alios hic, ampliata est ab Urbano III. cap. *Gratum* 20. hoc eod. tit., declarante perpetuari ipso citationis mandato, aut illius insinuatione. Ceterum, Gonzalez sentit idem statui ab Urb. ac à Lucio III., cum ostendat in cap. *Gratum* non agi de simplici citatione, sed de citatione per edictum peremptorium et trinam citationem, quæ inducit litis contestationem.

## TIT. XXX.—DE OFFICIO LEGATI.—IN SEXTO.

13. Decretali Innoc. IV. relata in cap. *Officii* 1. tribuentis Legatis Cardinalibus generalem potestatem conferendi quæcumque beneficia in suis provinciis, derogatum est à Bonif. VIII. cap. *Deliberatione* 4. hoc eod. tit., illis prohibente sub pœnâ nullitatis, ne conferant, aut sibi reservent cathedrales, aut collegiatas Ecclesias, vel ipsarum cathedralium dignitates electivas majores post pontificalem. Quæ tamen prohibitio locum non habet, si aliter in fundatione alicujus Ecclesiæ statutum fuerit.—Fagnan. in cap. *Nullus* 1. de Elect. n. 13.

## LIBER SECUNDUS.

## TIT. II.—DE FORO COMPETENTI.

14. Decretali Conc. Chalcedonensis relata in cap. *Si quis* 1. indulgentis Clerico prorogationem jurisdictionis in alios judices indistinctè, acce-



dente Episcopi et partium consensu, derogatum est ab Innoc. III. cap. *Si diligenti* 12., et à Greg. IX. *Significasti* 18. præcipientibus, prorogationem fieri debere ad iudicem ecclesiasticum, etiam accedente Episcopi et partium consensu. Ceterum cum in cit. Decretal. legatur: *non deferat proprium Episcopum, sed prius apud ipsum actio ventiletur, vel consilio ejusdem apud alios*, et congruè intelligi possit apud alios Episcopos relatè ad proprium, dicendum est quod potius declarata fuerit.

15. Decretalis Honorii III. relatà in c. *Ex parte* 15. permittentis litteras apostolicas committi posse iudicibus ultra unam dietam, restricta est, ut suprâ num. 2.

16. Decretali Greg. IX. relatæ in c. *Conquestus* 16. ex qua infertur cognitionem causæ delegari posse à Sede apostolica, ejusque Legatis cuiusque personæ ecclesiasticæ, derogatum est à Bonif. VIII. c. *Statutum* 11. de Rescript. in 6. præcipiente, ne ulli committantur, nisi dignitate prædito, aut personatum obtinenti, seu cathedralium canonico.—Vide Elencho III. num. 1.

Eod. cit. c. *Statutum*, et c. 40. Trid. sess. 25. de ref. derogatum pariter est constit. Innoc. IV. in Conc. Lugdun. editæ *Præsenti Decreto*; statuents committi posse etiam Canonicis aliarum collegiatarum honorabilium.—Vide Fagn. c. *Cum olim* 14. de Priv. num. 8. et 12.

#### TIT. VII.—DE JURAM. CALUMNIE.

17. Decretali Honorii II. relatæ in cap. *Litteras* 2. interdicentis iuramentum calumniæ in causis ecclesiasticis, derogatum est à Bonif. VIII. c. *Si de calumnia* 1. §. *Quamvis* hoc eod. tit. in 6. decernente præstandum esse simul cum iuramento de veritate dicenda.

#### TIT. XVII.—DE SEQUEST. POSSESS.

18. Decretali Honorii III. relatæ in cap. *Dilectus* 2. statuentis post appellationem contra possessorem beneficii sequestrandos esse tantum fructus, ne dissipentur, non verò ipsum beneficium, derogatum est à Clem. V. c. unic. *Ad compescendas* hoc eod. tit. in Clementin. præcipiente, post appellationem à possessione beneficii interpositam, sequestrandum esse beneficium, nulla facta mentione dissipationis fructuum.

19. Decretali Greg. IX. relatæ in cap. *Ab eo* 3. idem statuentis, derogatum est, ut suprâ.

#### TIT. XIX.—DE PROBATIONIBUS.

20. Decretali Clem. III. relatæ in cap. *Juravit* 6 admittentis ex quinto consanguinitatis gradu oriri impedimentum dirimens matrimonium, derogatum est ab Innoc. III. cap. *Non debet* 8. de consang. et affin. illud restringente ad quartum tantum gradum.

#### TIT. XXIII.—DE PRÆSUMPTIONIBUS.

21. Decretali Alex. III. relatà in c. *Litteris* 12. in fine recensentis crimen incestus inter septem impedimenta impedientia matrimonium con-

trahendum cum quacumque persona, quæ enumerantur à Glos. cap. *Qui Presbyterum* 2. de pœnit. et remis. verb. *Absque spe*, his versibus:

1. Incestus. 2. Raptus sponsatæ. 3. Mors mulieris.
4. Susceptus propriæ prolis. 5. Mors presbyteralis.
6. Vel si pœniteat solemniter. 7. Aut monialem recipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

abrogata est à contraria consuetudine.

Abrogata pariter est Decretalis Concilii Wermeriensis relatà in c. *Si quis* 1. *De eo qui cognovit* etc. idem statuentis.

Item abrogatum est ab eadem contraria consuetudine impedimentum raptus sponsæ alterius inductum à Conc. Tolet., seu juxta Correctores Romanos à Conc. Remen. Troslejano, can. *Statutum* 34. caus. 27. q. 2.

Item impedimentum homicidii uxoris inductum à Stephano V. can. *Admonere* 8. caus. 33. quæst. 2.

Item impedimentum susceptionis propriæ prolis in baptismo, eo fine, ut maritus separetur à sua uxore inductum à Concil. Moguntin. can. *De eo*, 5, caus. 30. q. 1., qui mortua uxore transire nequit ad secunda vota.

Item impedimentum presbytericidii inductum ab eod. Concil. Mogunt. cap. *Qui Presbyterum* 2. de pœnit. et remis.

Item impedimentum publicæ et sollemnis pœnitentiæ inductum à Syricio Papa can. *De his vero* 22. caus. 33. q. 2.

Item impedimentum ex matrimonio scienter contracto cum moniali, inductum à Conc. Triburien. can. *Hi ergo qui* 13. caus. 27. q. 1.

De quorum omnium impedimentorum abrogatione à contraria consuetudine inducta, vide Cabasut. *Jur. Can. Theor. l. 3. c. 21. n. 9.*

Erat etiam impedimentum ortum ex Catechismo, inductum à Clem. V. cap. *Contracto* 5. de Cognat. Spirit; sed vide abrogationem Elencho II. n. 448. Unde quatuor tantum hodie remanent impedimenta impedientia: nempe, votum simplex castitatis, sponsalia, Ecclesiæ vetitum, et tempus feriarum.

22. Nota tamen quod scienter ducens in uxorem propinquam sanguinis, præter nullitatem matrimonii redditur inhabilis, donec vixerit ad contrahendum cum quacumque, can. *Qui propinquam* 4, caus. 35. q. 2 et 3., et contrahere volens indigeret dispensatione, ex Decretis Cong. Conc. relatis in *Luæorien. nullit. matrim.* 7. Sept. 1720. Cui accedit stylus Datarariæ, quæ in dispensationibus matrimonialibus pro incestuosis consanguineis, apponit semper clausulam, *quod alter alteri supervivens perpetuò absque spe conjugii remaneat.* Corrad. in prax. dispensat. lib. 8. c. 3. n. 6.